



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Disputatio XCVI. De sigillo Confeßionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO NONAGESIMA S E X T A.

De Sigillo Confessionis.

SECTIO PRIM A.

De naturâ hujus Sigilli.

I. Certum in primis est, esse hanc obligationem servandi secretum.

NOTANDUM, tum ex Lege naturali, tum ex tacito pacto inter Pœnitentem & Confessarium esse obligationem servandi secretum, quod nihil aliud est in omni re, quam res magna æstimationis, quæ alteri in custodiam committitur.

II. De hac secreto in particulari servando longe maxima est obligatio.

At verò ulterius de hoc secreto in particulari servando, quòd proinde sigillum dicitur, tanta est obligatio, ut nullâ de causâ, etiam ad conservandam totam rempublicam à gravissimo damno vel temporali vel spiritali, liceat eam violare, vel contra Altsiodorensē docent omnes Theologi, quos citat Suarez hic, disp. trigesima-tertiâ, sect. primâ, num. secundo, desumiturque ex nonnullis ex Sanctis Patribus, ut sancto Leone, Basilio, Augustino, Ambrosio, & aliis: & in particulari hoc tradit Sanctus Gregorius capite sacerdos de Pœnitentiâ, dist. sextâ, ubi docet propter nullum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum, ubi per scandalum, ut communiter explicari solet, intelligit Pontifex damnum quodcunque, sive privatum sive publicum, ut latius explicant Auctores.

III. Difficilis est hujus tantæ obligationis reddere rationem.

Tota difficultas hæc in re est, ut assignetur ratio hujus tanti secreti, cum in aliis rebus, gravissimâ saltem de causâ essent aliæ obligationes & præcepta ferè omnia, & utrùm hæc tanta obligatio solum sit jure naturæ an divino. Suarez citatus, rejectis aliorum rationibus, quæ plene rem hanc non probant, ait obligationem hanc ad secretum oriri ex jure divino & præcepto Christi in ipsâ institutione Sacramenti Pœnitentiæ, & esse planè indispensabilem: unde, inquit, si ipse Summus Pontifex præciperet in aliquo casu secretum confessionis revelare, non esset ei parandum.

IV. Hæc primò constat ex communi sensu Ecclesiæ.

Quod autem hæc ita se habeant, constat tum ex communi sensu & usu Ecclesiæ, tum ex fine & modo institutionis hujus Sacramenti, nempe cum obligatione integrè consistendi omnia peccata; si enim liceret confessario in quibusdam casibus peccata per confessionem accepta revelare, timerent frequenter homines, ne esset justa causa ut Confessarius peccata revelaret, sicque mukum ab usu hujus Sacramenti, quod tamen tanquam commune & universale remedium institutum est, retardarentur, vel confessiones sæpè facerent mutilas.

Ex omni ergo & solâ Sacramentali confessione, quando quis verè se accusat coram Sacerdote, licet non absolvatur, oritur hæc obligatio sigilli: sin autem se verè non accuset, sed constaret alia intentione id aperire Sacerdoti, nempe ut ipsum in idem pertrahat, non oritur ejusmodi obligatio. Ratio est, quia nisi ponatur intentio confessionis Sacramentalis non est res sacra, & consequenter non sacrum secretum proprium hujus Sacramenti.

V. Ex omni & solâ confessione Sacramentali oritur hæc obligatio sigilli.

Nisi tamen valdè aperta signa sint, eum ficto animo accedere, & solum ut Confessarium pertrahat in consortium sceleris, aut aliud hujusmodi, non potest Confessarius rem detegere, sed judicare debet eum vero animo confitendi accedere, cum hoc præsumendum sit donec probetur fictus.

VI. Si tamen non sint signa valdè manifesta fictionis, judicari debet verò animo accedere.

Quod si quis ad petendum consilium aliquid aperiat animo verè se accusandi coram Sacerdote tanquam giudice à Christo constituto, ut ab ipso absolvatur, aut curetur, vel juvetur modo quo is judicet expedire, oritur obligatio sigilli, non si merè consulat ex aliquâ aliâ intentione. Quamvis autem pœnitens non habeat intentionem recipiendi absolutionem, aut sine dolore, si tamen velit se accusare eo modo quo potest, vel ut satisfaciat aliquo modo Ecclesiæ, & juvetur circa malum illud, sufficit ad obligationem sigilli, censetur enim inchoata confessio.

VII. Quid si quis ad Sacerdotem accedat consilii petendi causâ,

Si verò aliquis confiteatur laïco sciens esse laïcum, nulla est obligatio sigilli. Cadit autem hæc obligatio in Confessarium, ita ut mortalia nec in genere, nec venialia in specie detegere possit, potest tamen in genere dicere, talis est mihi confessus, aut confessus sua peccata, vel sua venialia, cum nullus sine his confiteri possit. Circumstantiæ etiam omnes peccatorum cadunt sub sigillo, cum aliquo modo integrent peccatum, & sint quasi pars illius & materia confessionis.

VIII. Si quis laïco confiteatur, sciens esse laïcum, nulla oritur obligatio sigilli.

Loqui tamen potest Sacerdos de peccatis auditis in confessione, modò non sit periculum ut quis ex illo discursu in personæ notitiam deveniat; sic enim dicitur Capite Omnis utriusque sexus, caveat ne revelet peccatorem: unde valdè cautè de illis rebus loqui debent Sacerdotes, & plerumque expedit ab hujusmodi sermone prorsus abstinere.

IX. De peccatis in confessione auditis inquit interdum potest Sacerdos.

Quoad illos qui obligatione sigilli tenentur, breviter dicendum, hanc obligationem in eum primò cadere qui aut verè Sacerdos, aut fictè illam confessionem excipit: deinde in eos omnes, qui quovis modo culpabiliter vel inculpabiliter confessionem illam audiunt, ut intérpres, aut circumstantes: præterea illi omnes qui à confessario

X. Quinam obligatione sigilli tenentur.

SECTIO SECUNDA.

An liceat Confessario uti notitiâ habitâ per Confessionem.

vel circumstantibus hæc audirent. Ratio est, quia sigillum est onus proprium notitiæ acceptæ per confessionem, ac proinde cuiusque communicatur illa notitia, transit cum suo onere.

XI. Verum quidem est, Vasquez, Henriquez, & alios nonnullos existimare illum, qui per revelationem licitam Confessarii ex licentiâ penitentis confessionem alterius novit, non teneri sigillo, sicut, inquiunt, non teneretur, si ipse penitens extra confessionem ipsum consuleret. Sed contrarium est tenendum cum communi sententiâ, quam Suarez sectione quartâ, num. 6. vocat certam. Disparitas autem est, quia penitens potest ex quocunque velit sine peccatum suum alteri detegere, Confessarius autem non potest, nisi in ordine ad confessionem. Si tamen esset superior, quem penitens adiret, eique narraret casum reservatum, petens veniam confitendi Confessario ordinario, teneretur hic sigillo; est enim inchoata confessio sacramentalis, & coram Iudice in foro Penitentiae.

XII. Unde quamvis Soto in quarto, distinct. 16. quæst. quartâ, art. quinto opinetur Confessarium, qui gravem aliquam culpam in excipiendo alterius confessionem commisit, posse eam confiteri, licet Sacerdos cui confitetur, inde veniat in notitiam illius, qui peccatum priori confessus est. Omnino tamen contrarium dicendum est cum communi Doctorum, imo ipsem Soto in relectione de secreto, membro secundo, quæst. quartâ, dub. secundo videtur dubius, & consequenter debet potius peccatum illud non confiteri, quam detegere illum penitentem, & si id confiteretur, violaret sigillum.

XIII. Penitens ipse quamvis non obligetur sigillo, tenetur tamen lege naturalis secreti non evulgare temerè quæ in confessione dicit Confessarius, ubi materia id postulaverit. Deinde non potest Confessarius post factam confessionem loqui cum ipso penitente de rebus in confessione auditis, esto fortè non sit propriè contra sigillum, cum respectu penitentis non sit secretum, est tamen sigillum hoc sensu, nempe gravis obligatio orta ex Sacramento Penitentiae non loquendi de re in confessione exceptâ. Si tamen defectus aliquis circa confessionem contigit, de quo tenetur monere penitentem, tunc si dare nolit licentiam penitens ad loquendum eâ de re, potest ipsi nihilominus dicere, & in hoc non loquitur extra confessionem, sed eam inchoatam perficit.

XIV. Si autem interrogetur quis de iis quæ novit solum in confessione, potest absolute negare, imo & jurare se aliquid huiusmodi non nosse, intelligendo ita ut possim tibi dicere, ut docet Coninck disput. nonâ, dub. primo, num. 25. & alii communiter.

XV. Solum noto circa rationem supra positam de causâ hujus tantæ obligationis ad non violandum hoc secretum, cum tamen alia secreta non sint ita strictè observanda, imò nec debeant cum ingenti detrimento Reipublicæ: ratio inquam ulterior hujus est, quia scientia illa non est humana, sed comparata mediis supernaturalibus. Quare, sicut si quis aliquid accepisset per revelationem, non teneretur uti illâ scientiâ magis quam Angelus in cælo, ita nec in præsentî.

XVI. Tandem reservatio peccatorum magnâ ex parte esset inutilis; non enim potest obligari clericus, ut supra diximus cum communi sententiâ, ad etiam peccatum

PRÆMITTENDUM, non verbis tantum, sed factis posse violari sigillum confessionis, ac proinde non minor cura in his, quam in illis ponenda, ne quid per ea innotescat. unde certum est non licere uti ullâ notitiâ habitâ per solam Confessionem si sit periculum revelationis peccati penitentis directæ vel indirectæ.

Deinde, non est hic quæstio de jure humano, nam Clemens VIII. per Bullam quandam prohibuit, ne regularium superiores eâ notitiâ quam per confessionem habent, ullo modo ad externam gubernationem utantur. Loquimur autem ex naturâ & institutione ipsoque jure Sacramenti: & sermo est, quando solum per confessionem id habet; si enim aliunde novit, potest per illam scientiam per se loquendo, eodem modo se gerere, ac si omnino per confessionem illud non accepisset.

Dico primò: Quoad nonnulla indubitatum videtur posse aliquem uti notitiâ per confessionem habitâ, nempe utoret pro penitente; hoc enim merè internum est, & nullum periculum detectionis. Deinde consulere potest viros doctos, & in confessionibus audiendis exercitatos quid faciendum esset, si tales vel tales casus in confessione occurrerent, modò sine cuiuspiam detectione, aut illius periculo fiat, & aliâ hujusmodi.

Addunt multi, posse Confessarium si superior sit exempli gratiâ curare occasionem aliquam externam peccandi auferri, ubi nulla est suspicio de peccato penitentis, quod magis probabiliter, inquiunt, dicitur, si caperet aliquam occasionem commodam, ut nec ipse penitens jure suspicari possit, id ex ipsius confessione provenire, alioqui esset tacita quædam peccati exprobratio. Sed non videtur fieri posse quin hoc suspicari possit penitens provenire ex ipsius confessione: unde non puto esse licitum.

Dico secundo cum plerisque ex recentioribus, non potest superior uti notitiâ in confessione habitâ ad actus externæ gubernationis, ut ad aliquem puniendum, aut officio vel beneficio privandum, negare ei suffragium in electione ad aliquod officium, amovere à certo loco, &c. Item nec potest Parochus aut alius negare ei Eucharistiam, aut recusare assistere ejus matrimonio, ubi per solam confessionem novit eum habere impedimentum dirimens. Ratio est, quia hoc aliquo modo est violare sigillum & tacite ei exprobrare peccatum, quod nullo modo licet, ut diximus.

Imo, ut benè advertit Layman libro sexto, tract. sexto, cap. decimo quarto, num. vigesimo secundo, ipso facto quòd sciant fideles, se ob peccatorum suorum confessionem privari posse officii, aut beneficii, etiam per occulta suffragia, abhorrebunt à confessione, iis saltem faciendâ, quos suspicantur sibi aliquando prodesse posse, vel obesse.

Tandem reservatio peccatorum magnâ ex parte esset inutilis; non enim potest obligari clericus, ut supra diximus cum communi sententiâ, ad etiam peccatum

Dicunt nonnulli, si quis à confessario ex licentiâ penitentis confessionem ejus novit, non teneri sigillo.

Peculiaris quidam hæc in re procedendi modus.

Quanam hæc in parte sit obligatio penitentis circa secretum.

Quid si quis interrogetur de rebus quas solum novit in confessione.

Vterius declaratur ratio, cur ex confessione, tanta oriatur obligatio secreti.

I. Sigillum confessionis, non verbis tantum, sed factis potest violari.

II. Prohibuit Clemens VIII. ne regularium superiores notitiâ, quam per confessionem habent, ad externam gubernationem utantur.

III. Quoad nonnulla indubitatum videtur posse aliquem uti notitiâ per confessionem habitâ.

IV. Addunt quidam, posse Confessarium, si sit superior, occasionem aliquam externam peccandi auferre.

V. Non potest superior uti notitiâ in confessione habitâ ad actus externæ gubernationis.

VI. Gravius commoda sequuntur, si scientiæ fideles, ob confessionem posse se privari officii.

VII. Reservatio peccatorum magnâ ex parte esset inutilis.

*colorum
redderetur
magna ex
parte inu-
li.*

peccatum aliquod grave cum tanto damno Epifcopo confitendum, sicut nec obligatur quis fidelis ad peccatum aliquod confitendum illi, à quo timet, propterea que magnum aliquod damnum passurum, sicque ex ipsâ naturâ & institutione penitentia hoc deducitur, & ex reverentiâ debitâ huic Sacramento, esto fortè in eo casu, ubi nulla oriretur suspitio penitentis negationem suffragii provenire ex ipsius confessione, cum nec sciat utrùm negatum ipsi à Confessario sit suffragium, non sit violatio sigilli. Unde Pater Claudius Aquaviva anno Domini 1590. præcepit Superioribus Societatis, ne unquam in externâ gubernatione scientiâ per confessionem habitâ utantur. Quod postea Clemens VIII. Anno 1594. motu proprio, pro omnibus regularibus decrevit.

VIII.

*Contraria
tamen sen-
tentia multi-
tos & gra-
ves habet
Auctores.*

Verum quidem est, contrariam sententiam habere multos & gravissimos Auctores, qui dicunt, quoties solus penitens suspicari poterit fieri hæc ratione peccati in confessione cogniti, posse Confessarium justè ei negare suffragium, privare officio aut beneficio, &c. ita Sanctus Thomas in quarto, dist. 21. quæst. 3. art. primo, quæstionem primâ, ad tertium, Halensis, Divus Bonaventura, Paludanus, Gabriel, & alii, quos refert Sanchez libro tertio de Matrimonio, disp. 16. Imo addit Navarrus, si sint latè aliqua pena aut censura incurrendâ ob eligentem indignum, incurri ab electione, etiam si ex solâ confessione noverit esse indignum.

IX.

*Dices per has
externas ac-
tiones non
violari si-
gillum.*

Dices: Per hujusmodi actiones ad gubernationem externam spectantes non violari sigillum. Respondetur: Per multas ex iis violari, vel directè vel indirectè, factis exprobrando alteri peccatum, vel reddunt manem, ex parte saltem, institutionem hujus Sacramenti, & casuum reservationem. Urgebis: Casuum reservatio videtur ad hunc finem instituta, ut melius gubernetur subditus. Negatur antecedens: Sed tum ut penitentes videntes difficultatem obtinendi absolutionem ab ejusmodi peccatis, magis eorum gravitatem apprehendant, eaque vitent, tum ut superioribus, qui plerumque prudentiores sunt, & magis experti, melius in foro conscientia dirigantur.

X.

*Aliud est, si
confessarius
alunde ha-
beat peccati
illius noti-
tiam.*

Si tamen Confessarius aliunde habeat notitiam illius peccati, potest eodem modo se gerere erga penitentem, ac si confessionem ejus non audivisset, per hanc enim notitiam non privatur suo jure, quin aliâ uti possit, secus si solum nosset per confessionem.

XI.

*Quid si duo
confitent
in mortem
Sacerdotis,
& alter hoc
eius confes-
sione aperiat.*

Quares: Si duo conspirent ad mortem Sacerdoti sequente nocte inferendum, aut vino; quo in Missâ usus est, venenum admiscuissent, postea Titius facti penitens hoc Sacerdoti illi in confessione aperit, utrùm possit Sacerdos fugere, aut vino illo rejecto aliud sumere.

XII.

Respondent

Suarez disp. trigesimâ tertiâ, sect. septimâ, num. septimo, Vasquez, & alii negant; nec enim inquit, potest fugere, aut vinum illud

recusare quin conjurationis socius suspicetur Titium hoc esse confessum, & consequenter violaretur sigillum. Sed vereor ut hæc ratio sit solida; non enim est contra sigillum confessionis aliquid dicere, unde qui aliâ viâ norunt peccata alicujus hominis, suspicentur ipsum ea esse confessum; sic enim aliquis publicè audit publicum peccatorem, jam morti ob scelera adjudicatum, & publicè ei absolutionem impendit, imo viri sapè timorati non ducunt sibi religioni dicere talem, cujus aliunde publica sunt peccata, sibi cum magno dolore esse confessum, seque credere cum esse salvum.

Solum ergo violatur sigillum, quando aliquid sit vel dicitur, unde si quibus nota non erant alius scelera, cognoscant eum aliquod peccatum commisisse, non quibus antea erant nota. Unde Cominek disp. nonâ, dub. quarto, num. quinquagesimo tertio, Henriquez libro sexto, cap. vigesimo-quarto, num. quinto, Layman libro sexto, tractatu sexto, cap. decimo-quarto, num. vigesimo, Scotus, Gabriel, & alii dicunt eum licet tunc & fugere posse, & vinum mutare, imo teneri ad hoc secundum ne se occidat. Sed hoc postremum quoad otiosionem sui solvere omnes debeat, cum omnes fateantur, si ex recusatione illius vini detegeretur peccatum Titii aliis, non posse Sacerdotem vinum illud recusare, & tamen nunquam potest quis se occidere.

Existimo tamen non posse Sacerdotem in eo casu fugere, aut vinum recusare, tum quia esset tacitè facto exprobrare Titio peccatum ejus, quod per solam confessionem accepit, imo possent etiam alii per hoc in peccati hujus notitiam venire, varias fugæ illius causas indagando, & facilè suspicari, structas ei à nonnullis fuisse insidias. Tandem grave incommodum Titio provenire posset à socio conjurationis, præsertim si illius famulus esset.

Quoad alias obligationes Confessarii erga penitentem, rem fusè ac dilucidè præter cæteros exponit P. Tannerus disp. 6. quæst. 9. dub. 5. universim hoc dici potest, ubi ejusmodi ignorantia invenitur in penitente, ut nesciat res ad fidem spectantes, aut præcepta Dei & Ecclesie, obligationes sui status, &c. debet eum instruere: si verò in quibusdam advertat ipsum bonâ fide procedere in aliquo errore, ex cujus detectione malum potiùs proveniret, quàm bonum, potest, imo subinde tenetur eum in suâ relinquere ignorantia, ut si deprehendat duos cohabitare in conjugio cum impedimento dirimente.

Curare etiam debet, ut occasiones, saltem proximas peccati tollat, non semper remotas, nam licet status militum sit periculosissimus ob varias peccandi occasiones, non tamen tenetur quis illum mutare, nec ad hoc eos compulit Sanctus Joannes Baptista erudiens illos ad vitam rectè instituendam: imo Ecclesia numerat statum militiæ inter licitos, sed periculosos capite *Noli militare.* Et hæc de Sacramento Penitentia.

XIII.

*Quando per
hujusmodi
actiones vio-
latur sigil-
lum.*

XIV.

*Probabilis
mihi vide-
tur, non
posse Sacer-
dotem illum
vel fugere,
vel vinum
mutare.*

XV.

*De aliis obli-
gationibus
confessarii
erga peni-
tentem.*

XVI.

*Curare etiâ
debet confes-
sarius, ut pe-
nitens occa-
siones pec-
candi proxi-
mas relin-
quat.*